



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

Eyschen, Georg von

Coloniæ, 1655

§. 226. Et continuo currens unus ex eis acceptam spongiam implevit
aceto. v. 48.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45515

§. 226. *Et continuo currens unus ex eis accepit spongiam implevit aceto. v. 48.*

Vel insignis quidam præ cæteris nequam, dum audiret hæc verba *Eli* *Eli* *Lamma* *Sabaethani*, ut & suam nequitiam & odium, & petulantiam in Iesum moribundum demonstraret apertius, & risum excitaret, & gratiam aucuparet Principum Iudæorum & populi, continuo currens accepit spongiam, & implevit aceto, quasi vellet indicare Christum Dominum aliena loqui & deliquia animi perpeti. Vel certe, verbum *Sitio* confestim voci *Eli, Eli*, subiunxit, cui tamen & ea occasione aliquis compatiens humana misericordia ad spongiam cucurrit. ne hoc ipso pietatis opere subvenire fuit permissus, dicentibus impiis, *Sine. sine.*

Vide & considera, o homo Christicola quomodo vel currat hic nebulo ut irrideat Dominum Deum nostrum, morientem, desolatum, clamantem ad Deum patrem suum in agone, ut eum refocillet non vino dulci & grato aut aliquo confortativo, sed magis ut cruciet adhuc ante mortem, irrideat: jocetur: vel si misericordiam motus hoc fecit, quomodo impediatur. Mi Deus, mi Iesu, in gratiam tantæ in te modo exercitæ iniquitatis, ludibrii, & malevolentia, da gratiam omni Christiano, & mihi imprimis, ne odio quempiam habeam, aut nocere velim, si ve in corpore si ve in anima, sed continuo currens exerceam potius opera pietatis, & misericordiam erga proximum, quam iustitiæ punientis.

§. 227. *Et imposuit arundini & dabat ei bibere. v. 48.*

Dum in maiorem Christi confusionem circa crucem expectarent & Principes & Seniores, adventum *Eliæ* cum populo ioco jactantes, accurrit miles qui impleverat spongiam aceto, imponit arundini, & in alcum effert, ori Iesu Agonizantis in Cruce, apprimat, Christum tamen magis affligit, quia defluens acetum ad vulnera per corpus nudum & dilaceratum motificat, & cruciat acerbitate sua, imo palatum exacerbat. Hæc fuit refocillatio Christi in tantis laboribus & angustiis.

OMi Iesu quid cogitabas in cruce quando audiebas tot scommata, quando videbas tantas nequitas populi tui in te, quando gustabas in tui derisum fel mixtum aceto! siccine fons vitæ, fons omnis gratiæ & dator omnis liquoris potaris aceto & felle! sed hoc pro mundi & meis excessibus in cibo & potu, pro nostra crapula & ebrietatibus. Proh malum ebrietas! vale crapula, imo apage, qua tam graviter offenditur divina Majestas & pro qua modo, mi Iesu gravissime satisfacis & luis. Tu sitis in Cruce, in agonia, in morte, & datur tibi acetum, mundus sitit & datur optimum vinum, &

sæpius